



Prot. N. 03334/2023-1083/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus iam allatis ab Exc.mo Domino Attilio Nostro, Episcopo Miletensi-Nicotriensi-Tropiensi, occasione sollemni celebrationum in honorem Beati Francisci Mottola, presbyteri et Congregationis Oblatorum atque Oblatarum a Sacr.mo Corde Fundatoris, a die X Octobris MMXXIII usque ad diem X Octobris MMXXIV peragendarum, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Tropiensem Concathedralem ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus celebrationibus devote interfuerint, vel saltem coram Beati Francisci exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Beati Francisci Mottola.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua Beati Francisci imagine iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritatis evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die festo Sancti Andreae Apostoli, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

*Maurus Card. Siccardi
Paenitentiarum Major*

Christophorus Nykcił